



Repàratis Grœningæ ruinis, novoque Senatu electo, regionis illius præfectura Wilhelmo Nassovio ab Ordinibus demandatur. Mauritius verò victoriæ tam illustri gloriâ decoratus, & 19. Augusti Amstelredamum ingressus, ad forum ubi venisset, multis scaphis navigiisque à Magistratu magnificentissimè exceptus fuit. Erectum erat medio foro theatrum, ubi muris personis exhibebatur Rex David, manu tenens caput Goliathi, filiæque Sion ludentes variis instrumentis musicis: Davidem autem exercitus Israel sequebatur. In summitate theatri depicta erant Nassoviorum insignia, subq; illis arbor malis aurantiis ònerata cum inscriptione: TANDEM FIT SURCULUS ARBOR. Inventio Emblematis elegans admodum, plenaque solertis ingenii est. Fuit namq; arbor verè ferax & fertilis Guilhelmus Princeps Aransorum, non glandes proferens, ut quercus; non Conos, ut abies; non fungos, ut pinaster; non undones, ut arbutus; sed mala aurea; aureas scilicet illas boni Principis virtutes ac notas, pietatem in Deum; amorem in patriam; fortitudinem in periculis; moderationem in rebus secundis; magnitudinem animi in adversis. Hæc arbore præter spem, præterq; meritum recisa; hoc est Guilhelmo infandi percussoris manu trucidato, surculus, Dei beneficio, remansit Heros Mauritijs, adolescentiæ sub morte patris annos ingrediens. Hic quia inter eam à surculo parvo in arborem excrevisset: quod gesserat onus Parens, in se reciperet: quam asseruit libertatem, sollicitè custodiret; quam cum potentissimis hostibus bella gesserat, pari alacritate suscipere: pari felicitate patraret: merito Belgæ sibi gratulantur, & quoscumq; possunt benefactori huic suo honores nuncupant. Ex Historia Belgica Author.